





A3
/

ORDINIS MEDICORVM
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS

1790
5d

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS, MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-
MICAE LIPSIENSIS SODALIS,

PANEGYRIN INAVGVRALEM
MEDICAM

IPS. CALEND. FEBRVAR. A. R. S. cDIOCCCLXXX.

HABENDAM INDICIT

PROLVSIONE

QVAE

CAVSARVM MORBIFICARVM CRITERIA

EXPLICARE PERGIT.

ORDINUS MEDICORVM
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

DECAVVS

CHRISTIANVS FRIDERICVS

WITTEBERGENSIS

MEDICINAE DOCTOR ANATOMIAE & BOTANICAE PROFESSOR
PUBLICA ANATOMIAE & NATVRAE
CATHEDRAE HONORARIUS, HONORARIAE

PROFESSOR

TANNGYRIN IAVGVALLIAE

MEDICAM

IN CASAR. L. & S. S. S. S.

LANDAM VIVIT

PROFESSOR

DE

OPVATA MORBIFORVM CURA

PHYSICIS



CAUSARVM MORBIFICARVM CRITERIA.

PARS II.

Filo itaque, quod nuperrime abruperamus, iam resumto, addamus his alteram causarum morbosarum classem, quas vulgo praedisponentes, siue quod morbo quoque praecedant, proëgumenas appellant. Quemadmodum illae veram ad morbum inclinationem et promptitudinem constituunt: ita factam in Oeconomia animali a iusta et naturali norma declinationem supponunt quidem, eius tamen functionibus nondum manifesto laesis. Sub hac nempe caussa eiusmodi singularem solidorum et fluidorum corporis statum habitumue subintelligas, quo fit, vt potissimum eius quaedam cum potentia nocente intersit affinitas, et quasi conspiratio, vt ad morbum vere recipiendum illud ipsum corpus aptum euadat atque idoneum. Ita vero, si causas omnes complectaris, eae comparatae sunt, vt aliae corpori sint pertinacissime innexae, atque



que modo ab intricata eiusdem fabrica et structura, modo ab aliis seorsim interdum adiunctis conditionibus dependeant, quas vel ideo diatheses naturales communes et proprias nominant, aliae vero vera vitia ipsi inhaerentia constituant, quae, nisi forte iam cum natiuitate fuerint inuoluta, a causarum occasionalium, quas *praeparantes* antea dixeramus, vt ab *excitantibus* eas discernemus, abusu pariter atque peruerso vsu sensim contrahuntur. Quae quamuis adeo manifestae non sint ac euidentis, quam priores, contra potius tectae magis et absconditae esse soleant, nisi forte vnā alteramque excipias, suis tamen characteribus et signis non destituuntur. Eoque primum referendum esse putamus, quod, cum sparsorum seminiorum instar corpori ipsi profunde inhaerendo, et in fluidis eius ac solidis residendo, hanc ad morbos aptitudinem proprie efficiant, causis semper internis adnumerandae sint. Deinde si perpendimus non solum saepe diu ante morbum has diatheses adesse solere sine ipsis functionum laesionibus aut perturbationibus, verum etiam non ita raro per longum posse tempus valetudinarios ab ipsis morbis, in quos inclinant, sese praestare immunes, dummodo a causis externis probe sibi caueant: facile est perspici, has quoque causas remotarum et antecedentium notas prae se ferre. Et hoc etiam aperte comprobatur, ad morbum vere procreandum vtriusque causae confluxum, procatarticae puta, ac progymenae utique esse necessarium. Neque denique reticendum est, harum prae reliquis causis adhaesionem ac durationem omnium esse tenacissimam, cum constet, quod modo expositum est, non ante morbum solum iam in corpore praexistere eas, sed durante morbo quoque perdurare, imo vel ipso iam superato nihilo minus raro euanescere.

Deni-



Denique ad eam causam veniendum est, cui soli, ac proprie famosus causae morbi titulus propter eminentiam suam competere videtur. Quemadmodum enim duae illae priores ac remotae causae nunquam solae aut discretae, sed coniunctim tantum agentes, interque se invicem perfecte conspirantes efficere morbum valebunt: ita quam hic potissimum subintelligimus, *causa proxima* in scenam prodeunte illico morbum existere, talemque e naturali in praeternaturalem statum conuersionem viribus eius vnice tribuendam esse, inter omnes constat. Tantum autem abest, vt, qui in consignandis morborum historiis frequentissime committitur error, talem esse iudices eam, quae morbum paulo ante, ne dicam proxime antecedens, subito excitauerat, quamque idem mox illico subsequutus est, vt haec vel ideo potius, quod antecedendo, et accedendo ad diathesin in corpore iam praesentem excitauerat eum, ad occasionales illas sit releganda, quas Graeci *πρόφασιν* appellant. Eodem quoque modo illi, qui, ne forte externam aliquam causam pro causa proxima male venditent, causae saepe praedisponenti cuidam ac proëgumenaе hoc falso designant officium, quod vel tecta magis sit, nec adeo euident, vel quod ea tunc praesente et fluida et solida peccare, adeoque corpus interne pessundatum esse, intelligant, vt Charybdim euitent scilicet, in Scyllam incidere videntur. Exemplum rei porrigunt inflammationes, quas a sanguinis congestione et stagnatione, subito facta, aut ab erronea quoque eius, siue in vasa subtilissima cruori vehendo propter exiguitatem inepta, siue in telam cellulosa effusione, in parte potissimum dolente proxime deducebant quondam, cum tamen irritationi potius hoc tribuendum esse, iam meliora edocti sciamus, siquidem constat triplici illa humorum peruersa conditione quoque satis diu, saepeque



peque praesente, nullas tamen neque partium singularium phlogosés, neque febres inflammatorias subsecutas fuisse. Quibus addere liceat, quod supra demonstratum sit, morbosam hanc dispositionem non solum iam ante morbum adesse debere, verum etiam post eum in corpore adhuc remanere ut plurimum, quorum neutrum de causa proxima locum habet unquam. Denique cauendum est, ne propterea, quod haec ipsa causa vi essentiae suae arctissime morbo sit implexa, ab ipso eandem plane non discrepare opinemur, ac ne ita confusa eius fiat cum illo inter interpretandum complicatio, cum morbum ab hac causa instar effectus eius potius dependere, neque minus eum non e causis tantum, sed e symptomatibus quoque, et ab aliis bene multis phaenomenis constat esse, causam vero proximam a symptomatibus illis prorsus discretam esse, constat. Quae cum ita sint, sequentibus eam characteribus illustrem esse affirmamus.

Quemadmodum nempe primo tunc demum ea se manifestat, postquam commoda quaedam causa externa cum confona praedisponente confluerat, adeoque sic utraque inuicem agere coepit: ita causam proximam remotarum proprie effectum esse debere, sciendum est. Deinde ad *internas* ea semper referri debet, siquidem ille ipse effectus, e confluxu remotarum causarum pronatus, in quo proprie consistere causam nostram modo demonstratum fuit, Oeconomia animalis motus irregulares, perturbatos, et enormes, ab organorum irritatorum reactione proficiscentes, semper supponit, unde quoque factum est, ut *continens* ea quibusdam audiat. Imo sunt vel ideo, qui existiment, eam tantum in partibus corporis solidis, nunquam autem in fluidis residere. (*vid. Henr. Ios. Regae medendi Meihodus P. I. c. VII. Aph. 368.*) Praeterea haec



haec sola morbum proferre valet, nec vt alia denuo cum causa antea confluat, necesse est, et immediate post eam, vel, si maus, confestim cum ea morbus exoritur, vt hanc vere efficientem morbi causam dicas, quo caractere ab omnibus facile remotis causis proximam poteris internoscere. Nec etiam intimum arctissimumque eius, quod cum morbo vinculum habet, praetereundum est, quo nimirum efficitur, vt non solum ipsa cum eo initium pariter atque incrementum, et augmentum capiat, verum etiam decrescat, atque demum finiatur, adeoque sic per omnem eius decursum, perque gradus omnino varios vires suas atque potentiam exserat. Quibus omnibus denique addamus, quod causa morbi proxima prae omnibus reliquis causis maiori gaudeat constantia atque simplicitate. Namque licet diuersae morborum species a causarum potissimum remotarum varietate atque multitudine dependeant et proficiscantur, his singulis tamen genere inter se conuenientibus vnam modo eandemque causam proximam semper competere, maxime videtur esse probabile. Inde quoque factum est, vt omnes ac singulos morbos a duabus duntaxat causis, a virtute puta vitali modo excedente, modo torpente et stupefacta, vel vt BROWNIO cuidam *Edinburgensi* visum est, a sola irritatione debilitateue *proxime ac immediate* effici, quidam perhibeant. (*Baldingers medicinisches Journal* St. XXI. p.6.)

His non obstantibus nec ille tamen ordo nobis displicet, quem alii celebres artis doctores in causis morborum disponendis constituunt. Solent nimirum illi inter *causas* morbum *prae-*
parantes, siue *antecedentes*, et *causas* morbum *excitantes*
siue *proximas* distinguere. Ad priores tam *procatarticas*,
siue *potentias nocentes*, quam *proëgumenas*, siue *praedis-*
penen-

ponentes, veraque morborum semina referunt, quarum illae ipsis *externae*, hae *internae* sunt. Quantum vero alteram causarum classem, *proximarum* puta, attinet, eas duplicis esse generis illi contendunt, vnam *externam*, quae proprie *causa occasionalis* est, breui ante morbum cum praedisponente confluens, morbumque ita excitans, alteram vero *internam*, *causam proximam* proprie et propter eminentiam ita dictam, quae e confluxu modo nominatarum causarum, *causae* scilicet *proximae externae*, et *antecedentis internae* tanquam effectus pronascitur, quaeque morbum semper habet immediatum pedissequum.

Hactenus haec; plura de his proxime in exemplo. Namque officii ratio postulat, ut in aliam causam descendamus. Indicenda nempe sunt solemnia inauguralia *Viri Praestantissimi* atque *Dottissimi* SCHVMANNI, qui relictis Theologorum partibus, quas amplexus fuerat quondam, ad castra Medicorum abiit, et huedam in illis militiam fecit gloriose, facietque in posterum. Sed age! vitae suae studiorumque fata iam ipsum candide commemorantem audiamus:

Ego GOTTHELF AVGVSTVS SCHVMANN, d. 21 Sept. anno huius seculi MDCCLX. Punschraivae in Episcopatu Numburgensi natus, et visus sum patre CHRISTIANO GOTTHELF SCHVMANN A. L. M. loci illius sacerdote, nunc vero apud Zipsendorfensis curam sacram habente, et matre BERNHARDINA SOPHIA e gente MVLLERIANA, quam optimam matrem iam ante multos annos praematura morte ereptam maxime doleo. Horum parentum optimorum curam, in me collocatam, quam diu vita frauet, nunquam oblivioni tradam; illi maxime itaque sunt

sunt gratias pro amore mihi praesito, pro cura in me educando adhibita. Deus O. M. patrem meum optimum seruet incolumem, et, ut ei omnia bene succedant, ex intimo quimo opto. Infans adhuc locum nutam una cum patre meo, cui munus sacerdotii apud Droschweitzerse prope Cizam demandatum erat. Religionem Christianam mihi BESCHEERER, huius pagi Ludimagister, et litteras elementares WINTER Diaconus nunc Bornensis, et pater meus optimus tradiderunt. Aetatis anno undecimo ad maiora in litteris facienda incrementa scholae Episcopali Cizensi insertus fui, ibique doctissimis solertissimisque praceptoribus, Rectore b. MILKIO, Conrectore SCHREGERO, matertera meae marito dilectissimo, Tertio M. GELERICHTIO per octo annos usus sum. His optimis praceptoribus optime de me meritis meos in litteris progressus debeo, gratissimoque animo omni tempore eorum memoriam recolam. Ad altiores cum mihi prouolandum esset Musas, ab Ephoro scholae b. WILKIO in su ministerii Cizensis tentatus et approbatus Academiam Witebergensem Ao. 1779, cui ut ciuis Ao. 1778. Rectore Magnifico EBERTO, fascies Academiae tunc gerente, adscriptus eram, adii. In hac Musarum sede per quatuor annos theologiam cotui, et doctoribus fidiis usus sum. D. TITMANN Exegesei totius N. T. Dogmaticam, et theologiam moralem, D. DRESDE Psalms, Prophetas et maiores et minores, Vaticinia, quae de Iesu agunt, D. REINHARD Psalms, Dogmaticam, Harmoniam Euangelistarum, Prof. TITINS historiam naturae, Prof. SCHROECK historiam ecclesiae et reformationis, Prof. ANTON Psalms et Prophetas, M. OERTEL theologiam cateheticam mihi tradiderunt. Horum virorum Summe Venerandorum, et Amplissimorum in me merita maiora sunt meis laudibus. Quatuor annis praeterlapsis Academiam deserui, et per unum annum ab auunculo meo dilectissimo MÜLLERO, Pastore Cospodanorum prope Neostadium ad Orlam hospitio sum exceptus. Huic auunculo

amorem meum in medicinam debeo, experientia enim sua in sanandis
 oculorum morbis, et amor suus in medicinam illa in regione satis no-
 tus est, hinc eius persuasum rursus Vitebergam. Ao. 1784. petii, et me-
 dicinam edidici. Huius mutationis ad hoc usque tempus me non po-
 nitet, anunculo itaque meo dilectissimo non solum propterea, quoniam
 in me hunc amorem in medicinam excitavit, sed quoque quoniam mihi
 multa amoris sui erga me singularis documenta ostendit, grates persolvo
 maximas, et ut mihi nunquam suum amorem detrahat, opto. In hac
 celeberrima musarum sede h. t. Rector Magnificus, EXPER. BOEHMER
 me therapiam generalem et specialem bis summa cum dexteritate edo-
 cuit, huius viri amoris, benevolentiae et patrocini documenta ad hunc
 usque diem tam multa in me exstant, ut sine eo medicinam ad finem
 perducere non potuissem, maximae ei sunt grates, nunquam obliuiscar,
 quod mihi praestitit. Laudandus mihi quoque praecipue est EXPER. LEON-
 HARDI, qui me non solum amore paterno amplexus est, sed quoque mi-
 hi anatomiam, physiologiam, dietam, therapiam, medicinam forensam,
 artem obstetriciam privatissime; pathologiam, medicinam forensam, ma-
 teriam medicam, chemiam theoreticam et experimentalem privatim; pa-
 thologiam, chirurgiam, artem formulas medicas conscribendi, publice
 mihi tradidit; qui non solum per quinque annos in examinatorio theore-
 tico et pratico, in disputatorio me erudit, sed quoque, ut aegrotor-
 um curam haberem, benignissime permisit. Pro suo amore mihi praes-
 tito, pro suis beneficiis in me collocatis, quam diu viuam, grates ei
 persoluam, nunquam, me praecceptorem habuisse, quem ut patrem meum
 aestimo, obliuioni tradam. Quicquid in osteologia, splanchnologia, myo-
 logia, angiologia, physiologia, dieta, botanica, hermiologia didici,
 EXPER. NVERNBERGERO quoque in acceptis refero, qui non solum me
 amavit, sed qui quoque, ut meam medicam cognitionem augerem, voluit,
 gratissimo animo sua beneficia perpetuo memoria mea recolam. EXPER.

LANG-

LANGVITH totam anatomicam priuatissime; chirurgiam publice; embry-
 ologicam, doctrinam de fasciis priuatim me edocuit: huic viro magnam par-
 tem meae cognitionis debeo, eique propterea gratias maximas reddo.
 EXCELL. HILLERI, qui philosophiam mihi tradidit, in me docendo hu-
 manitatem, dexteritatemque, in beneficiis mihi contribuendis paratum
 animum perpetuis laudibus ornabo, et grata mente agnescam. ELE-
 CTOR SERENISSIMVS beneficium Electorale magnum, PATRES
 ACADEMIAE CONSCRIPTI stipendium medicum Korusailianum, MINI-
 STERIVM ECCLESIASTICVM CIZENSE stipendium episcopale, et GENEROS.
 DE WOLFRAMSDORF stipendium Teichwolframsdorffianum in me contule-
 runt, his omnibus itaque et singulis euergentis meis multas exhibeo gra-
 tias. Variis amicis in dirigendis studiis comes fui, e quibus nominare
 mihi licet DIERSCH, FEISTEL, WOCKATZ, BAVERNSTEIN, qui medi-
 cinae Doctores iam facti sunt, PINCKERT, WEISS, REICHÉ, HOLZ-
 HAVSEN Medicinae Candidatos et Practicos. Scribendi opportunitas
 mihi se obtulit primo, cum Praeceptoris nostri optimo LEONHARDI in eun-
 tis anni auspiciis 1790. nomine societatis disputatoriae sub eius praesidio
 florentis apprecarer, tradens illi tractationem de erroribus quibusdam
 educationis infantum: tenellorum a peruerso parentum amore oriundis,
 secundo cum Ao. 1786. HARTMANNO medico apud Liebenwerdanos sum-
 mos in arte medica honores gratularer, tradens illi epistolam de fugien-
 da micrologia diaetetica.

Nec male eum collocasse haec duo lastra, quae in
 Academia consumserat, nec largitiones, quibus a liberalibus
 euergentis dotatus fuerat, vel ipsimet testes fuimus, vel Ordini
 quoque nostro probauit ille luculentissime, in Examine pro
 Candidatura, quod nostrum omnium applausu ante aliquot
 b 3: annos



annos iamiam subierat. Tam egregiae eius virtutes non poterant quoque aliis diu latere, atque hinc factum est, ut earum praemia mox reportaret. Praeter omnem enim spem et expectationem secretis litteris ab ILLUSTRISSIMO COMITE DE BRUHL ad eum datis, perhonorifice inuitatus est, ut munus *Medici Ordinarii* atque *Physici* ditionis *Forstensis*, *Pfortensisque* sibi demandari pateretur. Quod ut rite possit obire, secundum ea, quae hac de re sapienter sancita sunt, antea *Medicinae Doctorum* numero cooptandus est. Hanc ipsi impertiar ego more institutoque maiorum dignitatem in confessu Facultatis proximo die Lunae, postquam vltimum eruditionis suae specimen publice ediderit. Eum in finem conscripsit libellum *de vi imaginationis gravidae in foetum*, super quo cum doctissimis dissentientibus doctos ille sermones miscebit, quos, pro ea, quae a SERENISSIMO PRINCIPE ac ELECTORE ipsi facta est copia, solus moderabitur. Quem actum solemnem ut sua velint frequentia celebriorem reddere RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, COMITES ILLUSTRISSIMI, PER ILLUSTRIS LIBERI BARONES, GENEROSISSIMI quoque NOBILISSIMIQUE COMMILITONES, nec non BONARVM LITTERARVM FAVTORES reliqui, omni qua par est obseruantia rogamus.

P. P. Dominic. Septuagesim. A. R. S. clo 1o cclxxxx.

VITTEBERGAE, EXCVBIT CHAKISIVS.

Wittenberg Diss. 1790

vol 18

f

ULB Halle 3
003 769 283



sb.





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

MEDICORVM
A VITEBERGENSI
H. T.
CANVS
VS FRIDERICVS
BERGERVS
ATOMIAE ET BOTANICES PROFESSOR
MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE
ECTOR, SOCIETATIS OECONO-
PSIENSIS SODALIS,
T INAVGVRALEM
EDICAM
AR. A. R. S. d^o 101000CLXXX.
DAM INDICIT
LVSIONE
QVAE
BIFICARVM CRITERIA
LICARE PERGIT.

13

1790
5d